

AUXILIUM LATINUM

LATIN AID

A. P. S. L.

ALBERT E. WARSLEY, A. M., Litt. D.; EDITOR and PRESIDENT
ALFRED V. FRALEY, A. M., Ph. D.; SECRETARY and TREASURER

VOL. IV

APRIL 1933

No. 7



SIMPLIFIED PRESS, Pubs., Box 54, P. O. Station "S", BROOKLYN, N. Y.
Copyright 1933, by the SIMPLIFIED PRESS. Printed in U. S. A.

VOX AMICORUM

"Domino Alberto E. Warsley, Litt. D.,
Auxili Latini Editori:

"Scribo de 'Auxilio Latino' quod, ad linguae Latinae studium fovendum, institui. Latinitatis studium est persimile operi alii cuiquam. Qui muneri fidelis esse conatur, Dei voluntati semper obediens et in fine animam salvabit. Verum est, in principio, hoc laboriosum esse et animum juxta regulam erudiendum esse; sed mentis elevatio quotidiana et diligentia conatur felicem exitum dabunt. Dolor in delectationem convertetur.

"Via duplex ad Coelum, altera pro rege et altera pro rustico, non datur sed unica pro omnibus divitibus ac pauperibus. Dei gratia omnibus datur, excepto nullo. Deus personam non respectat sed cor hominis inspicit. Non solum, igitur, vero verbo at operibus bonis nobis opus est ad animam salvandam. Labor multa difficultaria sed cum fide in Deo omnia vincit.

"Quod de anima salvanda scriptum est, dicendum simili modo de Latinitatis studio. Aurea via nescitur ad scientiam acquirendam, imo vero multum studendum est. Ut lingua Latina bene intelligatur, ab initio omnibus incipiendum est. Elementa grammatica adamussim discenda sunt. Verum est operam dandam esse. Omnes qui Latine incipiunt, Laetitiam delectationemque meditentur, quae habebuntur, quando, principiis victis, Ciceronis, Caesaris et Horatii libros et alia opera classica legere tandem poterunt. Mercede laborum tunc demum fruentur.

"Tibi gratulator propter opus tuum et volo ut sit laetabundum et fructuum copia repletum pro te etiam pro eius lectoribus." Daniel J. Gericke, Bishop of Tucson Diocese, Tucson, Arizona.

Commentaria de Libris

Julia Sabine, A. B.
Newark Library, Newark, N. J.

CHAPMAN, J. J.—Lucian, *Plato and Greek morals*. (Boston, Houghton, 1931). Hic liber est commendatio Luciani, factoris facetiarum et arbitri moralium. Sunt translationes dialogorum—graciles et commoda. Lucianus saepe malus moribus habitus est sed vero influentia est bona, quod Lucianus est totus sanus.

LORD, L. E.—A Translation of the *Orpheus* of Angelo Politian and the *Aminta* of Torquato Tasso. (New York, Oxford, 1931). Quamquam hae duae eclogae sunt Italianae non Latiniae, hic liber tamen studentibus Virgili placebit. Introductio est historia poesis pastoralis, de Theocrito et Virgilio ad tempus renascens. Sunt translationes partium variarum eclogarum quae variationes formae sensusque demonstrant.

DICKINSON, G. L.—*Plato and his Dialogues*. (New York, Norton, 1932). Presentatio Platonis illi lectori cui tempus non est quo philosophiam Platonis invenire potest. Translationes graviorum selectionum dialogorum inclusae sunt. Hic auctor nuper mortuus est.


DE VIA FERREA (Railroad)

Theodore Laboure, O. M. I., M. A.
San Antonio, Texas

De Variis

- To wait for—Praestolor, -ari, -atus sum
- A going—Itus, -us, M.
- A returning—Reditus, -us, M.
- To pull out—Discedo, -ere, -essi, -esus
- A moving—Motus, -us, M.
- To stop—Sisto, -ere, stiti, status
(Extendetur)

AUXILIUM LATIN AID



SIMPLIFIED PRESS, Pubs. BOX 54, P. O. STATION "S", BROOKLYN, N. Y.
Official Organ ASSOCIATION for PROMOTION of STUDY of LATIN
(A. P. S. L.)

(Membership Certificate granted to each Subscriber)

MANAGING EDITOR: ALBERT E. WARSLEY, A.M.; Litt. D. (Membre d'honneur de l'Academie Latine d'Echanges Intellectuels). Kindly assisted by following Contributing Associate Editors: A. J. Beres, M. D.; Lillian B. Lawler, Ph. D.; Dr. N. R.; Julia Sabine, A. B.; Grace D. Veatch, A.M.; E. D. Daniels, Ph.D.; Theodore Laboure, O.M.I.; A.M.; E. S. Gerhard, M.A.; Gilbert F. Esser, C.P.P.S., A.M.; Arcadius Avellanus, Ph.D.; Alfred V. Fraley, A.M., Ph.D.; Fred Gruhn, S.V.D., A.M.; A. F. Geyser, S.J., A.M., with Mr. George Pazmino as Staff Artist. Contributions from readers welcome.

VOL. IV

MENSIS APRILIS MCMXXXIII

NUM. 7

HISTORIAE SCIENTIA QUAM SIT UTILIS

(De Segur)

A. F. Geyser, S. J., A. M., The Campion School
Prairie du Chien, Wisconsin

In quacunque versamur occupatione, historiae scientia semper magno nobis est usui, semper delectationi. Profundius enim quam praecepta movent exempla: nam argumenta sunt, quae afferunt persuasiones, tabulae pictae, quae allicitunt. Historia porro totius mundi continet experientiam, collectionem, rationibus tam apertis, tam aequis, ut nihil maneat, quo in errorem adducamus.

Neque enim constituti sumus aliter atque homines, qui antiquissimis flouerunt temporibus; in nobis eadem sunt virtutes, vitia eadem, quae in illis fuerunt; eisdem animorum motibus impulsu, quibus illi movebantur, diffidimus sapientibus illis consiliis, quae nos a nostris desideriis perversis conantur retraherunt.

Magistra est historia, quae nullis favet factionibus; argumenta, quibus utitur, sunt facta, quibus nemo potest

adversari; — res praeteritis gestas temporibus revocat in memoriam, ut futura tempora quadam quasi imagine praenuntiet; — speculum est veritatis: tum totae gentes tum homines singuli a nobis, historiae scientia imbutis, iudicantur modo qui omnem tollit deceptionem, rationibus tam apertis, tam aequis, ut nihil maneat, quo in errorem adducamus.

Ad historiae tribunal vocati terrarum gentiumque expugnatores e triumphalibus descendunt curribus; tyranni non amplius per suos satellites iniciunt formidinem; principes ante oculos nostros versantur omni privati comitatu, exuti fucato illo honorum pallio, quo Adulatio illos induerat; detestamur, — absque ullo timore id facimus, — Neronis ferocitatem, crudelitates Sullae, Tiberii simulationes, ef-

frenatam Caligulae licentiam. Dionysius, si terribilis apparuit Syracusis, Corinthi animo conspicitur fracto.

Mobilis vulgi plausus nostrum non decipiunt iudicium, ut invidis faveat iustorum clarorumque hominum calumniatoribus: virtutis vero peramantem Socratem exultantes ad carcerem prosequimur. Admiramur fortitudinem summam Alexandri stantis in Granici fluminis ripa, in Arbelae campo versantis: Condemnamus autem, sine metu, immensam illam ambitionem, qua in remotos Indiae recessus rapiebatur, condemnamus morum peruersitatem, qua extrema vitae tempora turpiter commaculabantur.

Sicut libertatis amor, adeo a Graecis cultus, animos nostros inflammat, ita invidiae, animi inconstantes atque ingrati, contentiones sanguinolentae, morumque corruptio illius gentis ruinam manifestant atque explicant. Roma, potestate turgens, nos reddit attonitos: brevi tamen discernimus virtutes, quibus facta est magna, a vitiis, quibus praeceps in ruinam protrudebatur.

Ubique, igitur, manifestatur, quam verum sit vetus illud effatum, sola honesta esse utilia, vere magnos nos fieri sola iustitia, sola virtute vere beatos. Tempus etenim aequa lancea praemia decernit atque poenas; ascensum descensumque populorum licet nobis metiri morum et puritate et corruptione. Virtute nationis cuiuslibet vis atque potentia firmiter conglutinantur; natio vero, si virtute caret, non potest evitare ruinam.

VER IAM ADEST

Dr. N. R., St. Louis, Mo.

1.

Dies iam crescent cum honore,
Temporis primulae, mollis Veris,
Noctes decrecent suo more,
Periodus incipit sui generis.

2.

Sol altiores ascendit gradus scalae,
Calefacit et tenui spirat aura,
Iam nix liquecit cum aqua in valle,
Rivis defluit montibus aqua clara.

3.

Degelatae terrae partes vaporibus
spirant.
Et gramen vi naturae eripit se terrae
foras,
Et ubique ut arbores viridari inquirat,
Quae de alto surrectae somno ut lora
fera.

4.

Aves cantantes expresse dicant,
Placidum, praepulchrum ver iam hic
adesse,
Omnes arbores germina plicant,
Ver apparuisse, hiemem recessisse,

5.

Breve nam mense Maiali omnia ornata,
Rosarum et albo et gilvo flore,
Prospiciunt mire, pulchre ut poma
granata,
Quae nunc stant suo pleno in decore.

6.

Lente ver incendens, distanter de terris,
Consolat nos placida sua venustate,
Salutamus et te, de remotis sphaeris,
Et admiramur te, tua tanta in po-
testate.

7.

Ubique universum perbellè prospectat,
Ubieunque spectet spiritualis quis aut
Iaius,
A Creatore haec virtus, quem quisque
respectat,
Missa nobis per menses, qui sunt
Aprilis et Maius.

JOANNES SMITH APUD INDIANOS

Gilbert F. Esser, C.P.P.S., A.M., St. Joseph's College
Collegeville, Indiana

Joannes Smith, simul ac praefectus coloniae in Virginia electus est, magnam copiam frumenti et frugum ab Indianis impetravit. Hac re colonis, qui inopia et fame paene erant absunti, fiduciam restituit ac bonam eorum aestimationem sibi vindicavit. Paucis autem post mensibus victu iterum exhausto, cum coloni beneficiorum immemores de novo conqueri coepissent, expeditionem suscepit in terram Indianorum qui Chickohomines vocabantur eo quod juxta Chickohominy flumen incolebant.

Quod flumen quam longissime potuit parva nave ascendit et aliquot militibus in nave praesidio relictis, his strenue mandavit ne ante exirent quam ipse reverteretur. Ipse vero et duo comites pedibus progredientes silvam ulterius penetraverunt.

Smith vix iter instituerat, cum milites mandato ducis non oboedientes in terram descendunt et per silvam vagantur. Subito ex omnibus partibus in eos irruunt trecenti hostiles Indiani, duce Opechancanough, qui erat frater Powhatani, maximi regis omnium illius regionis Indianorum. Unus e colonis captus inhumane cruciatus est dum enuntiaret ubi praefectus coloniae esset. Quo cognito, Indiani crudeli modo eum necaverunt.

Deinde eidem barbari praefectum per silvam cursum dirigentem insecuri, duos ejus socios statim sagittis transfixerunt. Joannes Smith autem, videns in summo se esse periculo, unum Indianum superatum et resti vinctum prae se velut scutum tenuit, et sclopetum tanta dexteritate in hostes explodit ut tres interficerit nonnullosque vulneraverit. Cum hostes ea maxima audacitate perterriti extra sclopeti jactum regressi essent, vir fortis ad navem redire conatus, mala fortuna in

paludem delabitur, ita ut ad pectus submergeretur. Inops quamvis esset omnis auxilii, ejus fortitudinem Indiani adeo veriti sunt ut appropinquare haud sint ausi, donec frigore et eis quae acceperat vulneribus paene correptus, tela abjecit atque hostibus se dedit.

Indiani captivum occidere non solebant qui de vita servanda curam non habebat. Virtutem enim non minus in hoste quam in socio magni aestimabant. Smith igitur, cum hunc morem cognovisset, nihil aliud postulavit quam ut ad principem duceretur. Huic acum magneticum quam secum habebat ostendit ejusque utilitatem explicavit. Acus sub vitro tremula, quae videri quidem sed non tangi poterat, barbaros magno timore affecit. Non nulli eorum eum interficiendum censemant, quorum voluntati autem princeps Indianorum obsistebat. Alius quidem, cui Smith multo ante aliqua munuscula praebuerat, grato et amico animo ei vestem attulit e pellibus confectam, qua ueste captivus frigore laborans maxime indigebat.

Indiani eo tempore in cofinos qui Jamestown urbem habitabant impetum meditabantur, quem impetum Smith hoc modo frustratus est. Vocatis ad se aliquot Indianis, praedixit se res designatas ab amicis recepturum esse, si chartam in qua paucas formas descripsisset ad eos mittere licet. Hoc consilium eis placuit, et epistola sine mora per tres juvenes ad colonos missa est. Ubi nuntii post tres dies reversi sunt, ipsas res reportantes quas Smith prae-nuntiaverat, Indiani, cum non intellexissent, quomodo charta posset loqui, tanta admiratione ac pavore correpti sunt ut consilium inferendi belli omnino deponerent.

Quomodo Joannes Smith e manibus hostium effugerit deinceps narrabitur,

HANNIBAL : ADULESCENS

E. S. Gerhard, M. A., Northeast High School
Philadelphia, Pennsylvania

Hannibal, Hamilcaris filius, Carthaginensis ducis, unus ex maximis et nobilissimis imperatoribus omni tempore erat. Natus est anno, quo in anno pater ejus primo in Sicilia summum imperium tenebat (247 B.C.). Hie egregius quam multi aestatis suae eductus et institutus est. Scimus eum omnibus studisse quae Graeci docere possent et ingentem mentem omnibus magnis purchrisque in nota orbe terrae habuisse. Accepit maxime optimam disciplinam sub diligente scrutatione sui patris qui pueri et evidenter ejus mensurae amans erat.

Hannibal et tres sui fratres, Hasdrubal et Mago, et Hanno- gens leonis- omnes nati institutique ad arma sunt. Tres sui fratres loco pugnae interfici sunt, sed hic diu vixit ut patriam suam in extremo periculo adjuvaret. Hic magnus dux et imperator erat ac ab militibus suis magnopere amabatur. Sic minimum pavorem et consternationem mentis exhibebat ut Romani, donec vivus erat, numquam libenter spirarent.

Dicitur, cum pater ejus in Hispaniam exercitum suum ducturus esset, bello in Africa confecto, et Jovi optimo et maximo hostias immolaret, puerum, non amplius novem annos natum, a patre petivisse ut eum una secum in Hispaniam adduceret. Tum ille, "faciam", inquit, "si mihi fidem quam postulo, dederis". Simul puerum ad aram adduxit apud quam sacrificare instituerat et eum in aram ejus manus imponentem odium in Romanos perenne jurare jussit. Id jusjurandum

patri suo datum et patrum odium erga Romanos sic reliquum tempus conservabat ut, cum ex patria expulsus esset et alienarum opum indigeret, numquam, priusquam mortuus sit, animo cum Romanis bellare destiteret. Hic semper eadem mente erat. Hannibal ipse multis post annis fabulam Antiocho, regi Epiri, narravit, ad aulam cuius extremis suis annis confugit.

Hie tantum puerulus erat ubi primo cum patre in Hispaniam profectus est. Adfuit in proelio, quo in proelio Hamilcar imperfectus est. Quamquam eo tempore non amplius duodevinti annos natus, tamen tantam fortitudinem et cupiditatem bello praebuit ut Hasdrubal, sacer et successor Hamilcaris, eum multis rebus bellicis praefeccerit. Mature in mentibus hominum memorabilem dictionem praebebat et mox ab exercitu in imperio suo impensam voluntatem collegebat.

Hasdrubal imperfecto, milites unavoce ducem puerulem suum imperatorem pronuntiaverunt, quamquam sex et viginti annos natus. Milites veteres Hamilcarem sibi ab mortuis redditum, eundem vigorem in vultu vimque in oculis, habitum oris linearimentemque intueri crederunt. Itaque nemo erat quem Hasdrubal, sacer, potissimum praeficeret mallet quandocumque quid fortiter et strenue agendum erat, neque milites umquam alio duce plus confidebant neque audentiores erant.

Non dubitari potest quin, ex die, quo die imperator declaratus est, ad excursionem Italiae spectaret velut ei ut bellum Romanis inferret mandatum esset. Sed primo potestatem Cartha-

ginis in Hispania quam firmissime confirmavit. Insequent trienno omnes gentes Hispaniae bello subegit et magnas pecunias ab eis exigit. Tum Novam Carthaginem in hiberna se retulit. Primo postero vere Saguntum, civitatem Romanis amicissimum, vi expugnavit, oppugnatio, permanens octo menses, diuturna et atrox erat. Hic Hannibal ipse, dum murum incautius subit, tragula in fronte femoris grave vulnus accepit et cecidit. Tanta consternatio ac pavor mentes copiarum suarum occupaverunt ut non multum abesset quin paene opera ac stationes suas desererent.

Vulnere ducis curato, oppugnatio de integrō et acrius fiebat; vineae agi arietesque ad moveri cooptae sunt. Creditur Hannibalem ad centum quinquaginta milia hominum numero habuisse; sed Saguntini minorem multo numerum habuerunt. Ei cum parvis numeris tanta loca munire non potuerunt; neque operi pares erant, nam nunc muri arietibus feriri coepit sunt et multae partes quassataeque erant; tres turres deinceps quantumque muri inter eas cum ingenti fragore procederant. Ea res animos Carthaginensium ad victoriam potiundam incitavit et eadem de causa a Saguntinis spes propugnandi oppidi dissestit.

Tandem oppidani, rebus suis desperatis, aurum argentumque privatum publicumque in forum collatum in ignem raptim factum coniecerunt ne sua in manus hostium inciderent. Plerique quoque in ignem se praecipitaverunt. Hannibal non diutius sibi cunctandum ratus, totis copiis adgressus urbem cepit et statim imperavit ut omnes puberes trucederentur.

In oppido magna praeda inventa est; captivi militum praeda facti sunt. Constat ex pretio bonorum venditorum aliquantum pecuniae redactum esse, et multam pretiosam supellectilem vestemque Carthaginem missam. Oppugnatione Sagenti confecta, Hannibal iterum Novam Carthaginem in hiberna se retulit.

R O M A

E. D. Daniels, Ph. D.
Brooklyn College, Brooklyn, N. Y.

Mussolini, summus vir in Italia, "Roma," inquit, "caput mundi labente aeo exercitus imperiales sub suis moenibus superatos esse vidit atque eadem cum fortissimi et clarissimi viri concidissent, ortum initiumque cultus et humanitatis et cogitationis oriri conspexit." Roma, meta et finis petitus a principibus, ducibusque orbis terrarum, heres veteris imperi Romani atque potestatis Christianae est fons e quo ordo novus et melior per Mussolini exorietur. Illo ipso duce Romana se quantis attolletur gloria rebus!

"Imprimis hoc caput animadverti", inquit iterum Mussolini, "Roma non modo in Italia sed etiam est totius orbis terrarum. Roma, urbs universa, Italica et omnibus gentibus cara, magna veteribus imperi Romani temporibus, lumen doctrinae semper conservavit. Sedes et umbilicus e quo religio Christiana diffusa est. Roma imprimis cum aura fati atque rei historicae est caput novae Italiae. Docuit leges et artes liberales et omnes gentes semper docebit."

N O T A N D U M

We deeply regret, due to unavoidable circumstances, the omission in this issue of both Mr. Pazmino's "Titurius Terribilis" comic strip and Dr. Avellanus's stories: "Rex Aurei Rivi" and "Ostium Clarissimi Viri de Maletroit", both of which features will again appear in the next May issue. —Editor.

DE AENEIDO

Fabula de Aenea, a Virgilio Marone scripta, rerum mirarum poema est. Aeneidos, liber legendus, omnibus lectoribus, quoniam de tantis subiectis disserat, placet.

Legendo operis magni versus immortales Virgili, nonnullam materiam, qua est admiratione digna, invenire potes. Poema amoris spiritum amator exhalat. Illi, qui fortunam pericitatur, ausi elementum est. Si vehementer admiraris quod fieri non potest, deorum fabulas fictas lege. Vagus peregrinationis narrationem hoc libro invenit. Is qui figuras pulchras amat, se saturat carminibus. Si es siderum spectator, astrologiae rudimenta sunt. Aeneidi philosophia iuvat hominem qui meditatur. Commentarii de historia inflant pectora eius qui patriae devotus est. Vere dicere possumus fabulam de Aenea, quam Virgilius scripsit, rerum mirarum esse poemam.

Denise Wright, St. Mary-of-the-Pines School, Chatawa, Mississippi.

CLIENS DILIGENS

Philo. Sed— (Truvius et Laevius in sinistra parte se condunt.)

Crassus. Satis est. Dixi. (Exit.)

Philo. Ubi sunt Truvius et Laevius?

Isti hoc egerunt.

Ferox. Quo modo?

Philo. Omnia tibi iam exponam. Nunc istos invenire necesse est. Venite! (In dextram partem exeunt omnes clamantes. E sinistra parte procedunt Truvius et Laevius.)

Truvius. Eheu! Nonne stultus sum?

Laevius. Stultissimus! Propera! (Exeunt.)

VITRUM

Adalbertus Polacek, Ph. D.
Prague, Czechoslovakia

Navis, quae aliquot mercatores antiquae celebrisque Phoeniciae vehebat, appulsa est ad litora Palaestinae, quae ad septentriones vergunt. Omnes egrediuntur e nave. Loca, quae circumiacent, perspiciuntur. Sed nihil inventur: ubivis flava harena. Efferuntur igitur e nave aena, et in litore ponuntur cibi parandi causa. Quae rurunt lapides idonei, super quos subdata flamma aena locari possint. Mox lapides inveniuntur, locantur aena, aqua impletur, inicitur carnis ignis que subministratur. Sed lapides, qui aena sustinebant, continebant nitrum, quod aestu flamarum delicuit, sese cum fervida harena cinereque ferventi permiscuit, et cum liquor refrixit, inventa est sub aenis serena perspicua massa --- vitrum.

MONS IN PARTU

James A. Varni
Garrison, New York


In diebus antiquis, murmur validum in monte auditum est. In partu esse dicebatur; et multitudines concurrebant ex omnibus partibus ut viderent quid genitum esset.

Post exspectationem diutinam ac multas opiniones sapientes --- exsiluit museulus.

Haec narratio illis applicat quorum promissiones magnificae praeclaraeque in actione minuta finiunt.

Aenigma Verborum

IN TRANSVERSUM



Fourteenth Prize-winning Puzzle
Factum a Maria Lloyd Thomas
Newark, New Jersey

Transversum Deorsum

- | | |
|---------------------|---------------------|
| 1. Needle (abl) | 1. I plough |
| 4. I nourish | 2. Round about |
| 7. He will be | 3. I use |
| 8. I fall | 4. I sharpen |
| 10. I pray | 5. A bandit |
| 11. To use | 6. I hate |
| 13. A cluster | 9. You rejoice |
| 15. Blood | 12. Burden |
| 16. Swim out! (imp) | 13. To or for one |
| 18. Sailor | 14. Either, or |
| 20. Leisure | 16. They (abl) |
| 22. That one | 17. I love |
| 23. Dried (abl) | 19. Frighten! (imp) |
| 24. Wild boar | 21. I am late |
| 27. I lead | 24. I love |
| 31. I am wet | 25. A part |
| 33. Wheels (abl) | 26. I give out |
| 34. I pray | 28. To use |
| 35. I send | 29. Quickly |
| 38. Let him go! | 30. Hated (abl.S.) |
| 39. Ochre | 32. Omen (abl) |
| 40. Where | 33. Strength |
| 42. Good (abl.S.M.) | 36. Holm-oak |
| 43. Town in Achaea | 37. Trumpet |
| 44. Law | 39. The sun |
| 45. Plough! (imp) | 41. Anger |

CALENDARIUM

(Mensis Aprilis)

- Apr. 1st—Kalendis Aprilibus
“ 2nd—a.d. IV monas Apriles
“ 3rd—a.d. III “ “
“ 4th—pridie “ “
“ 5th—Nonis Aprilibus
“ 6th—a.d. VIII Idus Apriles
“ 7th—a.d. VII “ “
“ 8th—a.d. VI “ “
“ 9th—a.d. V “ “
“ 10th—a.d. IV “ “
“ 11th—a.d. III “ “
“ 12th—pridie “ “
“ 13th—Idibus Aprilibus
“ 14th—a.d. XVIII Kalendas Maias
“ 15th—a.d. XVII “ “
“ 16th—a.d. XVI “ “
“ 17th—a.d. XV “ “
“ 18th—a.d. XIV “ “
“ 19th—a.d. XIII “ “
“ 20th—a.d. XII “ “
“ 21st—a.d. XI “ “
“ 22nd—a.d. X “ “
“ 23rd—a.d. IX “ “
“ 24th—a.d. VIII “ “
“ 25th—a.d. VII “ “
“ 26th—a.d. VI “ “
“ 27th—a.d. V “ “
“ 28th—a.d. IV “ “
“ 29th—a.d. III “ “
“ 30th—a.d. pridie “ “
- May 1st—Kalendis Maiis

VOCABULA MEDICINA

ALBERT J. BERES, M. D.
Wood-Ridge, N. J.

- Eczema, -atis, N.—eczema
Edo, -ere, edi, esus—to eat
Emeticus, -a, -um—causing vomiting
Exanthema, -atis, N.—a rash
Febris, -is, F.—fever
Femur, -oris, N.—thigh
Fibula, -ae, F.—outer bone of leg
Jecur, jecinoris, N.—liver
Labium, -i, N.—lip
(Extendetur)

**O Libertas,
Nostri Honor Generis**

Fred Gruhn, S.V.D.; A.M.
Philadelphia, Penna.

1.
O Libertas, nostri honor generis!
In splendore tuo monstra te nobis!
Quamquam saepe exsul hac terra nos-
tra,
Tui semper sumus, Magna Domina!

2.
Tu frondosas silvas Numen incolis,
Aves cervos flores sceptro dirigis,
Decorans naturam gratia tua,
Superans ubique, regens omnia.

3.
Dea, te iubente, omnes avidi
Ad pugnam volamus paratissimi
Mori defendendo nostram patriam
Sanguine illustrare tuam gloriam!

Editor's Note: The melody of this hymn is German. It is the famous

"Freiheit, die ich meine,
die mein Herz erfüllt."

This is a very powerful melody, fitting for a chorus of big-voiced bards. But youngsters may sing it also with great enthusiasm. In case teachers do not know or cannot get the melody, the translator, Fr. Gruhn kindly offers to write and send it to such as ask for it. He may be addressed in care of the Auxilium Latinum.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs et minor ordo maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repente caelo:
Albis spectat Horatius lacernis.

—M. Valerius Martialis

FIDUCIA

A. F. Geyser, S.J., A.M.
The Campion School
Prairie du Chien, Wisconsin

1.
Dum bruma nudat, latro velut rapax
silvas tamictu frondis, et eripit
pratis decus florum gelatis,
et latebras glaciat ferarum.

2.
Haec bruma vestit—providus es, De-
us!—
Silvas nivoso tegmine; dat simul
pratis refulgens involucrum;
veste feras graviore donat.

3.
Mox, vere primo, fronde virent nova
silvae solatae frigoris impetu;
florumque gemmis prata rident,
prosiliuntque ferae cavernis.

4.
Quid nos gementes conquerimur nimis,
si bruma—vitae despolians premit,
si dona fortunae recedunt,
pauperiem patimurque duram?

5.
An silvam, pratum vel fera sunt Deo
curiae diurnae, nec bonus ut pater
nos liberos caros iuvabit?—
FIDE DEO! TIBI PROVIDEBIT!

Si credis mihi, Quinte, quod mereris,
Natales, Ovidi, tuas Apriles
Ut nostras amo Martias Kalendas.
Felix utraque lux diesque nobis
Signandi melioribus lapillis!
Hic vitam tribuit, sed hic amicum.
Plus dant, Quinte, mihi tuae Kalendae.

—M. Valerius Martialis

APPROVED — READ — STUDIED BY THOUSANDS

INDEX VERBORUM

* * *

- Adamussim—exactly
Bruma, -ae, F.—winter
Contionator, -oris, M.—popular orator
Calumniator, -oris, M.—intriguer
Commaculo, -are, -avi, -atus—to spot all over
Conglutino, -are -avi, -atus—to stick together
Deinceps—one after another
Frux, frugis, F.—fruit, produce
Fucatus, -a, -um—painted
Femur, -oris, N.—upper part of leg
Heres, -edis, C.—an heir
Immolo, -are, -avi, -atus—to sprinkle with sacred meal
Lanx, lancis, F.—scale of balance
Mensura, -ae, F.—a measuring
Pertaesus, -a, -um—weary, disgusted
Pallium, -i, N.—a coverlet
Pavor, -oris, M.—a trembling
Rhetor, -oris, M.—a teacher of rhetoric
Reor, reri, ratus sum—to think
Supellex, -lectilis, F.—furniture
Sanguinolentus, -a, -um—bloody
Tremulus, -a, -um—trembling
Umbilicus, -a, -um—middle center
Vitrum, -i, N.—glass

SACRAE HISTORIAE DELUGE — 2348 B. C.

Postquam Noemus ipse ingressus est arcam cum conjuge, tribus filiis et totidem nuribus, aquae maris et omnium fontium eruperunt. Simul pluvia ingens cecidit per quadraginta dies et totidem noctes. Aqua operuit universam terram, ita ut superaret quindecim cubitis altissimos montes. Omnia absumpta sunt diluvio: arca autem sublevata aquis fluitabat in alto.

(Extendetur)

Sacer Contionator

Prof. R. P. Di Milla
The Fenway, Boston, Mass.

Quodam die sacer contionator elaborato sermone Sancti Lucae Evangelistae incepit dicere laudes.

Sed, cum primum ad tantam populi frequentiam oculos convertisset fuisse setque non parum perterritus, conceptum sermonem ita a se discessisse sensit ut nihil aliud dicere posset quam haec verba: “Lucas medicus salutat vos!” et etiam atque etiam eadem repetebat verba: “Lucas medicus salutat vos!” nil enim aliud memorare poterat.

Pertaezi auditores surrexerunt omnes mirantes et inde de templo exierunt.

Attamen unus ex illis, vertens se ad contionatorem, sic illum est affatus: “Pater, cum videris Lucam, illum ex parte nostra saluta!”

EXPLICATIO AENIGMATIS (In numero Martio)

Transversum

1. Amici
5. Æneas
10. Bell
11. De-
- lent
12. Boa
14. Au
16. Arcet
20. Acer
21. Eodem
23. Ganea
25. Suo
27. Amissus
30. Es
31. Eros
32. Vis
33. Summi
35. Unos
36. Sui
37. Et
38. Res
41. Scabo
44. Re
45. Aon
46. Sat

Deorsum

1. Abi
2. Me
3. I.L.B.
4. Cloaca
5. Ae
6. Elate
7. Neu
8. En
9. At
13. Arenari
15. Como
17. Cremo
18. Id
19. Ensese
20. Ago
22. Ops
24. Ais
26. Usus
28. Uvor
29. Siser
31. Emico
34. Musa
35. Ut
37. Eos
39. Sed
40. Et
42. An
43. It